

quadrantes, nec ullus aureus uel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII tabularum intellegere possumus; eorumque nummorum uis et potestas non in numero erat, sed in pondere; | ——— 12 fere litt. ——— | asses librales erant, et dipondii | ——— 12 fere litt. ——— | unde etiam dupondius dictus est, quasi duo pondo: quod nomen adhuc¹ in usu retinetur. semisses quoque et quadrantes pro rata scilicet portione ad pondus examinati erant. tunc igitur et qui dabat alicui² pecuniam, non numerabat³ eam, sed appendebat; unde serui, quibus permittitur administratio pecuniae, dispensatores appellati sunt. 123. | ——— 2 vers. ——— |⁴ illa quidem, quae coemptionem facit, non deducitur in seruilem condicionem, at a parentibus et a coemptionatoribus mancipati mancipataeue seruorum loco constituuntur, adeo quidem, ut ab eo, cuius in mancipio | sunt, neque 33 hereditates neque legata aliter capere possint⁵, quam si simul eodem testamento liberi esse iubeantur, sicuti iuris est in persona seruorum. sed differentiae ratio manifesta est, cum a parentibus et a coemptionatoribus isdem uerbis mancipio accipiantur⁶, quibus serui; quod non similiter fit in coemptione.

124. Videamus nunc, quo modo *ii*, qui alieno iuri subiecti sunt, eo iure liberentur.

125. Ac prius de his dispiciamus, qui in potestate

1) adhuc V. 2) 'possis etiam facere: conuenienter qui dabat olim.' Hu. 3) adnumerabat Hu. 4) Si tamen quae rat aliquis, quare, si qua coemptionem fecit, differat a mancipatis *suppl.* Hu., ad sensum recte. 5) possunt V. 6) accipiunt V.

§ 123. cf. supra 1, 113. 117. infra 1, 138. 2, 160. 3, 114 et Gell. 18, 6, 9, unde apparet quosdam uxorem, quae coemptionem fecerat, in manu mancipioque viri esse dixisse. sicuti iuris est in persona seruorum] cf. infra 2, 186.

§ 124. = I. 1, 12 pr.

§ 125. cf. supra 1, 13 sq.